

vinam essentiam, quæ repræsentativa est non solum quidditatis, sed etiam libertatis suæ, quia continet in se actum liberum, et potest illum manifestare, dummodo essentia divina uniatur intellectui sub illa ratione, et modo quod intelligitur, ut continens, et repræsentans actum liberum, sicut etiam ipse Deus per suam essentiam cognoscit liberum actum suum.

XXIX. Ex parte etiam luminis requisiti ad cognoscendum, non requiritur revelatio facta per aliud lumen, quam lumen gloriæ, quia lumen gloriæ est sufficiens pro omni revelatione intra Verbum, etiam respectu actus liberi, ita quod lumen gloriæ non solum est cognoscitivum divinæ essentiæ, quantum ad connexiones necessarias, sed etiam eminenter est lumen revelationis, mediante quo Deus intra Verbum revelare potest quidquid voluerit applicando, et uniendo essentiam suam illi lumini, sub eo modo quo repræsentativa est ejus, quod Deus

revelare vult. Si enim potest Deus manifestare decretum suum, et voluntatem per lumen infusum extra Verbum, sicut cognoscimus per fidem, et prophetæ per lumen propheticum multa de voluntate Dei cognoverunt, a fortiori intra Verbum potest Deus revelare ea, quæ pertinent ad liberam voluntatem, non per aliud lumen, quam quod est cognoscitivum Dei intra Verbum, quod propter suam eminentiam æquivalet revelationi divinæ; et ad hoc (ut diximus) non requiritur nisi quod ipsi lumini proportionato divina essentia uniatur, ut repræsentans hoc, vel illud decretum suum: sicut ad videndam aliquam creaturam possibilem determinate, necesse est, quod uniatur divina essentia, sub ea ratione qua continet talem creaturam, potius quam aliam, et lumen in ea dispositione, aut intentione dari, qua proportionatum sit ad penetrandum continentiam talis creaturæ.

QUÆSTIO XI.

DE SCIENTIA INDITA, VEL INFUSA

ANIMÆ CHRISTI.

EXPLICATIO LITTERÆ.

Ordo hujus quæstionis ad præcedentem supra quæstionem nonam, notatus est, cum tractavimus de scientia Christi in communi, et diversitate scientiarum, quas habuerat, quarum prima est scientia beata: secunda infusa per se ad cognoscendum extra Verbum: tertia acquisita, et connaturalis homini in hac vita: et sic expedita consideratione de scientia beata, agit nunc de scientia per se infusa: in ea vero considerat tria, scilicet objectum, actum, et habitum. De objecto agit articulo primo inquirens, an Christus per hanc scientiam sciat omnia, vel ad quæ objecta se extendat; de actu, inquit tribus sequentibus articulis, explicando perfectiones, quas habet actus hujus scientiæ, cum enim excedat scientiam acquisitam, et humanam, oportet imperfectiones scientiæ acquisitæ ab ea remove, et explicare perfectiones angelicæ, unde inquit in articulo secundo, utrum habuerit hæc scientia dependentiam a phantasmatibus; et in articulo tertio, an habuerit necessitatem discurrendi; et in articulo quarto, an sit inferior cognitione angelica, per quæ explicantur omnes perfectiones exercendi, et utendi hac scientia: denique de habitu illius inquit in articulo quinto et sexto, an solum fuerit hæc scientia habitualis, et utrum unius, vel plurium habituum.

Circa primum explicat D. Thomas in articulo primo ea ad quæ se extendit ista scientia, et supponit tamquam certum principium hanc scientiam fuisse in Christo perfectam, quod intelligitur de perfectione intensiva, et extensiva: nam quod fuerit extensive perfecta ostendit in argumento Sed contra, ex eo quod sacra Scriptura ponit in Christo ea dona Spiritus sancti, quæ comprehendunt omne genus cognoscibilis, scilicet sapientiam et scientiam, intellectum et consilium, si quidem sapientia est cognitio divinorum omnium, intellectus rerum immaterialium; scientia omnium conclusionum, seu scibilium; consilium omnium agibilium, sub quibus generibus omnia cognoscibilia comprehenduntur: ergo ad omnia se extendit scientia Christi.

Intensive etiam fuit perfecta, ita quod non habuit hæc dona Spiritus sancti in ea limitatione, qua dantur cuilibet existenti in gratia, sed in ea perfectione qua debent esse in capite omnis gratiæ: *Cui non dat Deus Spiritum ad mensuram*, ut dicitur Joannis tertio, sed venit tamquam doctor omnium, et magister a Deo, ut ibidem dicitur. Oportet ergo quod ista dona sic comprehendant omne genus cognoscibilis ita sint in Christo, quod possint etiam ad alios derivare doctrinam, illosque instruere tamquam suprema regula, et magister.

Hac autem suppositione facta discurrit D. Thomas ostendendo quid sit necessarium ut scientia perfecta sit, scilicet, ut potentialitas intellectus sit reducta in actum, et cum in intellectu sit duplex potentialitas, scilicet, respectu agentis naturalis, et respectu supernaturalis, oportet quod scientia infusa ut sit perfecta, utramque potentialitatem tam naturalem, quam obedientialem reducat in actum, directe quidem, et per se potentiam obedientialem, quia scientia ista per se est supernaturalis; accessorie autem et ex consequenti potentiam naturalem, secundum quod naturalia omnia ministrant supernaturali fini.

Qua ratione etiam D. Thomas infra quæstione quinquagesima nona, articulo quarto extendit judiciariam potestatem Christi ad omnes res humanas, quia accessorie, et ministerialiter homini deserviunt, oportet ergo: quod per hanc scientiam anima Christi cognoscat omnia tam supernaturalia extra Verbum, quam naturalia, ut requiruntur ad supernaturalia, et licet naturalia ipsa alio modo cognoscat per scientiam infusam, quam per modum naturalem scientiæ acquisitæ, tamen D. Thomas non agit hic de modo cognoscendi objecta, sed de numero objectorum ad quæ scientia ista se extendit.

Et quando dicitur cognosci omnia, quæ per potentiam obedientialem cognosci possunt, non debemus intelligere omnia absolute; sic enim obedientialis potentia inexplebilis est, sed intelligenda sunt omnia secundum ordinem divinæ sapientiæ, ad quam solum pertinet præfigere limitem, et ordinem supernaturalibus, et potentiæ obedientiali. Quomodo autem præfigat Deus terminum, et mensuram supernaturali isti scientiæ, nobis ignotum est: videtur tamen proportionatum, quod per illam intelligat anima Christi omnia supernaturalia, quæ in hoc rerum ordine inveniuntur, et ad hoc universum spectabunt; de cæteris autem, quæ in alio rerum ordine fieri possunt, quantum, aut quid intelligat Christus per hanc scientiam, non potest ab aliquo definiri. Quomodo autem per hanc scientiam intelligat omnia singularia, et futura, in disputatione disquiretur.

In articulo secundo incipit S. Thomas determinare de scientia infusa quantum ad perfectiones actus, removendo illius imperfectiones, et prima imperfectio est dependentia a phantasmatis, quæ scientiæ infusæ non convenit, neque ratione sui, in quantum infusa est, cum a phantasmatis non oriatur, sed ab agente supernaturali; neque ex parte subjecti in quo est, quia anima in tantum indiget phantasmate, in quantum est aliquo modo corpori subjecta in suis operationibus, neque ipsi plane corpus subjectum est. Unde quando anima perfecte dominabitur corpori per redundantiam gloriæ in ipsum, illudque perfecte sibi subiciet, tunc poterit intelligere independentem a phantasmatis.

Ex quo fit, quod radix unde habet anima non dependere a phantasmatis est, quod sit beata, licet per accidens ex dispensatione corpus non sit glorificatum, sicut in Christo; habet tamen in se potentiam subjiendi corpus, et non dependendi ab eo in cognitione: et ita potuit non uti phantasmate tam ex parte scientiæ, quatenus infusa est, quam ex parte intellectus habentis statum comprehensoris. An vero scientia infusa ex sua natura sufficiat deobligare intellectum a phantasmatis, et etiam si puro viatori detur, ex littera hac præcise non decernitur, sed postea id inquiremus.

Addit D. Thomas solutione ad tertium, quod potuit uti phantasmate per hanc scientiam infusam si vellet; quod difficultatem habet inferius discutendam.

In articulo tertio, agit de alia imperfectione, scilicet de discursu, inquirendo, an ista scientia fuerit collativa. Et facilem habet ex dictis solutionem, nam discursus, seu collatio, et compositio ad duo possunt requiri, vel ad acquirendam scientiam, vel ad utendum acquisita. Ad acquiren-

dum, manifestum est non potuisse hanc scientiam habere discursum, cum fuerit per se infusa, et non actibus acquisita: ad utendum vero ipsa jam habita dicit D. Thomas potuisse uti discursu, si Christo placeret, quia ex parte subjecti, cui infunditur habet modum cognoscendi per discursum; et ista scientia, non ita elevate infunditur, quod etiam modum connaturalem operandi destruat, ita quod non possit illi aliquo modo proportionari: potest nihilominus simplici intuitu multa cognoscere præsertim quæ per discursum proprie non sunt cognoscibilia, sicut spirituales substantiæ, et alia spiritualia mysteria.

In articulo quarto, comparat D. Thomas perfectionem hujus scientiæ infusæ cum scientia Angelorum, et distinguit D. Thomas de his, quæ conveniunt scientiæ infusæ ex ea parte, qua respicit causam influentem (intellige tam causam effectivam, quam objectivam) ad cujus proportionem infunditur lumen, et de his, quæ illi conveniunt ex ea parte, qua respicit subjectum cui accommodatur. Ex parte ergo causæ influentis superat hæc scientia scientiam Angelorum, tam quoad extensionem, seu numerum objectorum, quam quoad intensionem, id est, claritatem luminis, et certitudinem cognitionis; in his enim major est hæc scientia, quia lumen supernaturale gratiæ est perfectius lumine naturali Angeli.

Si dicas hoc solum probare, quod excedit naturalem cognitionem Angeli, non tamen supernaturalem, quam habent Angeli extra Verbum, respondetur directe quidem, et expresse id probare, quod excedat supernaturalem scientiam, si quam habent Angeli extra Verbum, quia in hoc genere supernaturali Christus est caput omnis gratiæ etiam respectu Angelorum, ut relinquitur probatum sub quæstione octava, et ita potest illos illuminare in genere gratiæ: atque adeo superat illos in scientia. Si vero attendamus modum hujus scientiæ ex parte subjecti, dicit D. Thomas, quod est inferior scientia Angelorum, eo quod licet sit supernaturalis scientia, tamen accommodatur propositioni, et modo subjecti, sicut alia dona gratiæ. Solum enim visio beatifica, quia attingit Deum in se ipso, elevat creaturam ad operandum ultra modum proprium; hæc igitur scientia retinet modum operandi connaturalem animæ humanæ, qui est inferior modo angelico, et potest uti, si velit, phantasmate et discursu, quod non potest Angelus, habetque species in minori universalitate, quam Angelus, ut dicitur articulo sexto.

In articulo quinto, incipit D. Thomas de habitu hujus scientiæ, et in primis inquit, an fuerit habitualis, et potest hoc in duplici sensu accipi. Primo, utrum indigerit habitu ad hanc scientiam: secundo, an hæc scientia fuerit semper in actu, et non in habitu tantum. Et in primo sensu non est difficultas alicujus momenti, cum etiam ad scientiam beatam indigerit habitu, qui est lumen gloriæ; ergo etiam ad hanc scientiam infusam habitu opus fuit, quia fuit scientia supernaturalis. In secundo autem sensu præcipue disputatur a D. Thoma, et respondet, quod fuit scientia habitualis, quia data est juxta proportionem modi operandi animæ humanæ, cujus modus est, ut quandoque sit in potentia, quandoque in actu, et consequenter hæc scientia etiam hoc modo se habet, quod est esse habitualem.

Ex quo intelliges, quod quando dicit D. Thomas in solutione ad primum, dari hanc scientiam secundum modum proportionatum humanæ naturæ, non voluit negare, quod hæc scientia sit supernaturalis, et per se infusa, cum statim subdat, quod cognoscit res per species divinitus inditas, sed contraponit illam scientiæ beatæ, quæ non accommodat se modo cognoscendi subjecti, sed illud elevat ad operandum ultra modum suum immutabili, et æterno genere intelligendi. Hæc autem scientia cum sit extra Verbum, juxta modum subjecti se accommodat.

Similiter quando vocavit hanc scientiam perfectissimam in genere co-

gnitionis humanæ non intelligit nomine cognitionis humanæ, cognitionem homini connaturalem, sed cognitionem extra Verbum, modum cognoscendi humanum admittentem, et ei se proportionantem.

In solutione ad secundum negat S. Thomas hanc scientiam reductam esse ad actum quoad omnia, quæ cognoscere potest, quasi simul, et categorematice, quia hæc sunt infinita, sed pro imperio voluntatis reduxisse in actum id, quod congruebat debito fini secundum exigentiam negotiorum, et temporis; nec ideo frustra erat habitus potens se extendere ad infinita, quia sufficit quod ad quodlibet ex infinitis possit se extendere, licet non ad infinita categorematice. Sicut etiam non est frustra infinita Dei potentia, licet infinita categorematice non possit facere, quia sufficit quod possit syncategorematice, scilicet ex infinitis quodlibet quod vulerit.

Sed dicit pater Suarez esse creditu difficile, quod non potuerit Christus exhaurire omnia objecta hujus scientiæ per actus ab ea elicitos, et ideo adhæret alteri solutioni a Cajetano insinuatæ, quod per infinitos actus, seu species potest percurrere omnia objecta hujus scientiæ sub qualibet specie infinita considerando. Cæterum D. Thomas de hoc non tractavit, sed solum dixit, quod licet non pertransierit omnia, quæ ab hac scientia tangi possunt, unum post aliud cogitando, non tamen esset frustra talis scientia, licet non tendat in omnia actualiter, dummodo actualiter tendat in id, quod convenit loco, et tempori. Quare D. Thomas solum fuit sollicitus respondere ad ly frustra, et solvit dicendo, quod non sequitur esse frustra scientiam de infinitis, etiam si non percurrat omnia actualiter, quæ potest percurrere. An vero de facto percurrat omnia, noluit D. Thomas definere, sed nec negavit.

In articulo sexto inquit sanctus doctor, an hæc scientia fuerit distincta per plures habitus. Et respondet affirmative. Fundamentum deducit ex pluralitate specierum, quæ infunduntur ad hanc scientiam, eo quod anima humana recipit species magis multiplicatas, et minus universales, quam Angeli; ex multiplicatione autem specierum debent multiplicari habitus scientifici, quando repræsentant diversa genera scibilium. Quomodo autem ex multiplicatione specierum inferatur ista diversitas luminis scientifici, et distinctio habituum, gravis difficultas est, quæ longiori disputatione infra tractabitur.

DISPUTATO XIII.

DE OBJECTO AD QUOD SE EXTENDIT SCIENTIA INFUSA ANIMÆ CHRISTI DOMINI.

ARTICULUS I.

An potuerit per hanc scientiam cognosci evidenter mysterium Trinitatis quoad an est?

I. Vazquez hic disp. LIII, capite primo, et tomo II, prima parte, disp. CXXXV, capite secundo, et Lorca hic

disp. LX, negant per hanc scientiam Christum Dominum cognovisse mysterium Trinitatis quoad an est. Fundamentum est primo in D. Thomas, qui in hac quæstione, articulo primo asserit, quod essentiam divinam per hanc scientiam non cognovit Christus, sed solum per primam, scilicet per beatam, quod testimonium, ita exaggerat pater Vazquez, ut dicat, quod Thomistæ, qui oppositum docent, hæc verba non legisse videantur, quia si Christus cognovit per hanc scientiam mysterium Trinitatis, utique cognovisset divinam essentiam, quia essentia Trinitatis est ipsa essentia Dei; nec

potest dari evidens illius cognitio, nisi essentiæ divinæ evidentia detur: ergo si D. Thomas negat cognosci hac scientia infusa divinam essentiam, consequenter debet negare, quod cognoscatur ipsa quidditas.

II. Secundum fundamentum est ex ratione, quia non datur aliquid mediante quo possit evidenter cognosci mysterium Trinitatis; omnis enim cognitio, vel est rei in se ipsa, vel in alio. Constat autem, quod mysterium Trinitatis in se ipso videri non potest nisi per scientiam beatam; in alio autem videri non potest nisi sit aliquis effectus, vel causa, vel aliquid cum quo habeat necessariam, et intrinsecam connexionem tale mysterium, quia omnis evidentia demonstrativa fundatur in aliqua intrinseca connexione rei scitæ cum principiis sciendi; nullum autem horum potest concurrere ad efficiendam evidentiam mysterii Trinitatis, nam hoc mysterium non potest sciri per aliquam causam, cum nullam habeat ipsa Trinitas, quæ increata est, nec potest haberi per effectum, cum nullus effectus ad extra possit esse effectus Trinitatis, ut Trinitas, sed ut unitas est, eo quod omnis effectus debet procedere per divinam potentiam, quæ est una.

III. Nec potest cognosci in aliquo, quod respiciat ipsam Trinitatem, ut objectum, vel terminum, sicut visio beatifica, vel actus fidei, aut modus unionis hypostaticæ, nam ista solum se habent ut media extrinseca, et attingentia rem ipsam, non in ratione rei, sed in ratione cogniti, vel extrinsecus terminantis, nam ad cognitionem visionis beatificæ sufficit cognoscere illam esse visionem Dei in se, licet non cognoscatur in particulari, quid videat in ipso Deo: et ad cognitionem unionis hypostaticæ sufficit cognoscere, quod terminatur ad divinam subsistentiam, licet non cognoscatur in particulari

ad quam subsistentiam terminetur, præsertim in sententia probabiliore, quod unio ad quamcumque Personam est ejusdem speciei.

IV. Quod si dicas cognosci mysterium Trinitatis per evidentiam testificationis divinæ, contra hoc est argumentum: Quia licet possit in testificatione divina admitti evidentia quoad attestantem, non tamen quoad rem testificatam; potest enim dari evidentia, quod aliqua revelatio sit a Deo, et non a creatura; implicat tamen quod si aliquid cognoscitur in vi testificationis tamquam per medium cognoscendi, res testificata clare non cognoscatur, quia testimonium dicentis semper est extrinsecum, et solum habens vim auctoritatis in dicendo; ergo non potest rem ipsam quam dicit, demonstrare nisi auctoritative: omnis autem auctoritas solum reddit rem creditam, et obscuram: si autem aliquid amplius habet, quam testificari per auctoritatem, jam non solum erit testimonium, sed lumen quo aliquid videatur: cum ergo Christus Dominus per hanc scientiam non cognoverit aliquid obscure, et per fidem, sed evidenter non potuit habere cognitionem mysterii Trinitatis evidenter mediante testificatione.

V. Nihilominus communior sententia est inter theologos opposita, quæ affirmat per hanc scientiam cognovisse Christum mysterium Trinitatis evidenter quoad an est. Tenet Cajetanus hic art. I, Ferrariensis III contra gentiles, cap. DCXXV, §. Ad id quod ultimum, et communiter recentiores Thomistæ, et videri potest magister Cabrera hic disp. V, §. V, et Suarez disp. XXVII, sect. V, et a fortiori eam tenet schola Scoti, quia admittit posse dari cognitionem quidditativam abstractivam Dei, quæ non sit beatifica, et non solum quoad an est.